



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Contra Clericum, qui, occasione alicujus quaestionis, Clericum aliquem
captivaverit. 32

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

norum privationem, & proscriptionem de terra, non processerint; contra ipsos dominos, tanquam contra consentientes malo hujusmodi, monitione præmissa, procedatur.

XXIX. Contra occisores Clericorum, per annum in excommunicatione existentes.

SI autem intra annum Absolutionem à Sede Apostolica impetrare, & alias congruè satisfacere, neglexerint; statuimus, ut ex tunc nullus filiorum aut nepotum, eorundem sacrilegorum, ad Ordines vel ad beneficium Ecclesiasticum vel dignitatem, usque ad quartum gradum, admittatur; & idem fiat de filiabus & neptibus eorundem; & si qui eos vel eas admiserint, incurrant pœnas, quæ superius de filiis & nepotibus Clericos captivantium sunt expressæ.

XXX. Contra eos, qui minas intulerint personis Ecclesiasticis de corpore vel de rebus.

Volentes item malo, antequam eveniat, quantum possumus, obviare: statuimus, ut, si quis Ecclesiasticæ personæ minas intulerit de corpore vel de rebus, & monitus à Iudice ordinario, ipsam personam Ecclesiasticam non asscuraverit, a tempore monitionis intra septem dies; ab ipso Ordinario ex tunc excommunicetur, & excommunicatus publicè nunciatur, donec asscuretur ipsam personam Ecclesiasticam, & de ea coram suo Iudice accipiat rationem.

XXXI. Contra eos Clericos, qui sacrilegium in Clericos committere non verentur.

Cum verò magnum sit scandalum, & plerisque Laicis (qui alioqui Clericis sunt infesti) similia committendi existat quamplurimum incentivum, quod Clerici in Clericos sacrilegium committere non verentur; statuimus, ut Clericus vel Canonicus, injiciens manus violentas in Clericum, vel Ecclesiam suam vel aliam aut Ecclesiasticam personam spolians, vel violentiam in immunitate committens, vel bona eorum seculari iudicio occupans, vel, ad aliquod horum, consilium seu auxilium vel operam dans; pro hujusmodi injectione in continenti per omnes Ecclesias & Capellas Civitatis & Diocesis excommunicatus nunciatur; & cum de aliis constiterit per evidentiam vel famam publicam, vel juramentum injuriam vel damnum passum si fuerit persona fide digna, vel per fidem Testium, summarie faciendam, per Ordinarium moneatur, ut, intra septem dies à tempore monitionis factæ, de forefacto perpetrato satisfaciatur cont-

petentè. Alioqui à Nobis excommunicatus excommunicatione quam ferimus in his scriptis, ex tunc per omnes Ecclesias, ut supra dictum est, publicè nunciatur.

Quod si intra quindecim dies non satisfecerit, ex tunc denunciatur, campanis pulsatis & candelis extinctis, singulis diebus Dominicis & Festivis excommunicatus. Quod si per annum in hujusmodi excommunicatione persistit, ex tunc omnibus beneficiis Ecclesiasticis, si qua habuerit, ipso facto sit privatus. Et illi, ad quos spectat ipsorum beneficiorum collatio, ea conferant intra mensem. Alioqui per Superiorem ex tunc conferantur. Et nihilominus sit inhabilis ad aliqua alia conferenda.

XXXII. Contra Clericum, qui, occasione alicujus questionis, Clericum aliquem captivaverit.

SI autem Clericus Clericum, occasione alicujus questionis quam habeat, captivaverit, vel, ad capiendum ipsum, consilium, auxilium vel operam adhibuerit: statuimus, ut causam amittat ipso facto, & excommunicatus publice, ut de aliis captivatoribus præmissum est, nunciatur: & si intra septem dies liberationem ipsius captivi non procuraverit, ac intra alios quindecim dies læso, Nobis, & Ecclesiæ non satisfecerit, ex tunc omnibus beneficiis Ecclesiasticis, si quæ habet, sit ipso facto privatus, & inhabilis in perpetuum ad aliquod beneficium consequendum. Et, si ille, ad quem collatio beneficiorum hujusmodi pertinuerit, intra mensem non de eis ordinaverit, ea aliis vel alii conferendo; Collatio ac Ordinatio eorundem ad proximum Superiorem sit ipso facto devoluta. Si vero beneficium non habuerit, sit inhabilis in perpetuum ad aliquod obtinendum.

Præterea, omnis locus, ad quem hujusmodi sacrilegus pervenerit, vel ubi biberit aut comederit aut pernoctaverit, sit ipso facto interdictus eo modo, sicut de Laicis, captivatoribus Clericorum, est præmissum.

XXXIII. Contra Clericos, qui mutilant vel occidunt Clericum.

Statuimus etiam, ut Clericus, occidens vel mutilans Clericum, vel eum usque ad mortem captivum detinens, sit ipso facto ab omnibus beneficiis Ecclesiasticis habitis, & à spe habendorum, penitus destitutus; & excommunicatus in omnibus Ecclesiis, ut superius dictum est, nunciatur; locis, ad quæ venerit, vel ubi biberit, comederit, aut pernoctaverit, ut superius dictum est, suppositis, ipso facto, Ecclesiastico interdicto: & nihilominus ad alias pœnas, per Nos aut Capitulum & Priores Colonicales, sicut opus fuerit, procedatur.

XXXIV. De

Cap. 24.

Cap. 20.

Cap. 18.

Cap. 24.